

§. 14. Addere sic etiam possumus, præter Thoracis, ipsius simul abdominis musculos, qui sternutando eadem quoque ratione trahuntur in motus societatem. Ubi provocare possumus ad alterum medicinæ fulcrum, Experientiam. Sæpius enim hæc ipsa fuisse compertum, quamplurimi comprobabunt, sternutatione factâ fortiori, Peritonæum esse disruptum, ac intestina delapsa, herniamque miserabilem genitam.

§. 15. Certum itaque est, sternutationem pendere primario à capite, superiori ac divinâ corporis nostri parte. In hæc verò cave accuses cerebrum, nobilissimum Capitis thesaurum. Evanuit enim opinio illa, quam habuere veteres & recentiorum quidam de Cerebro, ac si ex eo destillare primò debeat mucus, qui deinde os cribrosum transgressus excernatur vel sternutatione vel alio quocunque modo per nares. Videatur *Vir*, (uti appellatur à Schoockio d. l. p. 20.) *verè singularis καὶ ἰητρὸς καὶ Φιλόσοφος πολλῶν ἀτάξιος ἄλλων* Schneiderus Doctor Medicus Wittebergensium celeberrimus in eleganti libro de osse cribriformi; cui jungatur Nobilissimus Jenensium Medicorum Rolsinkius *Dissertat. Anatomicæ, L. VI. c. 55. pag. 1251. seqq.*

Et quod idem
κατ' ἀξ-
σιν.

§. 16. Nimirum cerebrum, quod omni motu, aliis perperam contradicentibus, planè est destitutum, quiescit semper in pericranio, frustra que ipsi systole atque diastole, ut dilatatione primum excipiat, compressione verò iterum materiam illam mucosam protrudat, adscribitur. Hoc enim non est instar tecti domus alicujus, aut alembici, quò ascendant fumi aut vapores, & resolvantur in guttas aqueas post excernendas. Nec id simile est fungo aut spongiæ, quæ imbibat in sese viscosam materiam, eamque iterum exprimat per nares. Similia hæc sunt, valdè dissimilia.

§. 17. Verùm positò, quòd resoluti fuissent in cerebro vapores aliqui in aqueas guttas, quos quæso meatus transirent illæ, ut ad nares descendant? Obsessæ ac clausæ ubivis sunt omnes viæ, quas transgredi planè foret impossibile. Os enim cribrosum, quod pervium in communi atque constanter habebatur olim, nulla planè habet foramina, quæ transitum alicujus humoris permittant,